



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 23. Polus a Papa ad constantiam, animique firmitatem admonitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

admodum severus esset, sub primis ta-
 men Regiminis sui auspiciis præsefere-
 bat, ipsique Reginæ Auctor erat, ut
 libertatem captivorum quamplurimis
 redderet, quos inter etiam Eboracensis
 Archiepiscopus, nonnulli Equites, alii-
 que Viri generis nobilitate insignes nu-
 merabantur. Nec his contentus, om-
 nem etiam conatum adhibuit, ut Eli-
 sabetham, & Devonix Comitem pri-
 stinæ restitueret libertati, quos tamen
 extremo affici supplicio, Gardinerus ex-
 optare videbatur, quantumvis Viatus
 illos nuperæ conjurationis participes
 haud fuisse paulo ante mortem suam
 testaretur. Ast Gardinero haud inco-
 gnitum erat, quod Mariæ fors sine
 prolibus decedenti Elisabeta succede-
 ret, ac quantocius Protestantium Se-
 ctam rursus inveheret.

§. XXIII.

*Polus a Papa ad constantiam, animi-
 que firmitatem admonitus.*

Priusquam hæ nuptiæ celebrarentur,
 Cardinalis Polus in suspensionem
 venerat, perinde acsi Cæsari diuturnior
 ejus commoratio in Aula displiceret,
 eumque revocari a Papa petiisset, hinc
 ipse Julium Pontificem summis preci-
 bus exorabat, ut Romam redire eidem
 permitteret: Ast Pontifex adeo non

Sæcul. XVI.
 A.C. 1554.

*Pallav. hist.
 Conc. Trid.
 lib. 13. c. 9.
 num. 1.
 Ex lit.
 Stellæ ad
 Polum 23.
 Maji 1554.*

Sæcul. XVI
A.C. 1554.

*Becatel. in
vita Poli.*

nalis precibus deferebat, ut etiam illum per Franciscum Stellam admoneri curaret, quatenus in hac occasione Ecclesiæ tantopere utili animum non desponderet, sed potius eam constantiæ, ac firmitatis laudem conservare niteretur, quam integro vitæ suæ curriculo sibi comparasset, cum Religionis causa suam patriam, bona, omnesque sibi Sanguine junctos reliquisset. Eam proinde famam suam non obfuscaret, nec se tereri permetteret repulsa, ac remissione affectu cujusdam Principis semivivi (Carolus V. significabat infirmitatibus pene confectum) sed contra virili prorsus constantia suo insistere proposito, suamque patriam, totumque Regnum Ecclesiæ restitueret.

§. XXIV.

*Sinistra Cæsaris de hoc Cardinale
suspicio.*

*Pallav. l. c.
n. 2. & 3.*

Verum omnes hæ Pontificis rationes nondum sedare poterant turbatum Cardinalis animum; variis enim ex locis nuntiabatur, quod Cæsar illum a sui propositi executione avertere moliretur: insuper Polus existimabat, minus inferri dedecoris Sedi Apostolicæ, si ab eodem Pontifice revocaretur, quam si aliorum vilipensionem exponeretur: quinimo sibi persuasum habere